UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Mauritii Gudeni Historia Erfurtensis Ab Vrbe Condita Ad Reductam

Gudenus, Johann Moritz von

Erfurti, 1675

XI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11903

Visual Library

ſe reciperet. Mulctam præterea centum marcarum argenti in ſingulos annos dictavit. Appulit his diebus erronum † flagellantium turba, (a) qui hinc inde currentes obſcuris cantilenis populum dementabant, utque pietate illuderent, ſe flagellis cœdebant, interim furtis, & libidinibus intenti. Non intromiſſi in Urbem Hilſershofii numero trium millium palarunt. * Ex ſimili colluvie fuit hîc Conſtantinus quidam, † is ſe filium Dei prædicabat, die tertia reſurrecturum. Nullibi fidem ſed miſericordiam invenit, quod maniâ hominem ſtulteſcere crederetur; at ille ſanæ & integræ mentis ſe eſſe contendit. Indulgetur ſpacium, ut de integritate judicii conſtare, ſimul à temeraria profeſſione deſiſtere poſſet. Ille ſe neutiquam delirare, ſed eſſe filium Dei confirmabât. Deductus ergo Blaſphemus ad Electorale tribunal † ejuſque ſententiâ rogo injectus, ad gradus fori majoris combuſtus eſt.

Flagellantiũ turba.

* MCCCL.

Blaſphemus quidam ſe filium Dei jactat.

Supplicium Blaſphemi.

XI. Gravi Schiſmate † Moguntina Sedes turbatur. Henricus mandato Pontificis exaltatus, ingrato facinore Ludovico Cæſari contrà Papam adhæret. Hinc Pontifex in eum anathema vibrat, & de ſede per ſententiam dejicit. (b) Suffectus Gerlacus Comes Naſſovius, ſed prævalente Cæſaris potentiâ Henrico, † accedere Moguntiam veritus Erfurti moratur: hæc

Schiſma Moguntinũ.

Henricus Moguntiæ, Gerlacus Erfurti reſidet.

(a) *MS. Chron. Petrenſe.*

(b) Serarius *in hujus Henrici, & Gerhardi vitâ.*

hæc enim Civitas mandata Pontificis amplectens contrà Cæſarem, & Henricum, Gerlaco adhæſit, eidemque vivente Ludovico (a) Homagium præſtitit. Hic viciſſim † multis largitionibus, & privilegiis fidem Civitatis ſibi firmavit, & ſic cum ingenti Sedis detrimento prima licentiæ fundamenta Civitas jecit.

Schiſmate ad utilitatē ſuam utitur Erfordia.

XII.

*MCCCL.

Chorus Marianus erigitur.

* Idem annus initium (b) dedit eleganti ſtructuræ † Chori B. M. Virginis, cujus Magnificentiæ Germania parem non habet, ſique Severianus Chorus, uti fundamenta jacta, ſimili forma ſtaret, ac ſic latiſſimi gradus ex foro inter utramque magnificentiam exſurgerent, vix haberet Italia, quod huic miraculo compararet. Sumptus (c) quater & vigeſies mille argenti marcarum fuerunt. Nec jam tum India Europam argento ditaverat, ut ſicut annona, ſic unius diei merces non multis obolis ſtaret. Simul † lapideis gradibus (d) ad montem D. Petri aſcenſus ſternebatur, jacuerunt illi ad noſtram ætatem, uſque dum munito monte ſublati murorum marginalibus adhiberentur.

Aſcenſus montis S. P. gradibus lapideis ſternitur.

Vicedominatûs officium Moguntia redimit.

XIII.

*MCCCLII

* A longo tempore (e) Vicedominatus † exercitium in Erfordiâ nobilis familia, quæ

(a) *MS. Chronica Petr.*

(b) *MS. Erfurtenſia Chron. & Petr.*

(c) *Rationalia iſtius Collegii & MS. chron. Petr.*

(d) *MS. Chron. Petr.*

(e) *Sequentia multis documentis in Archivis extantibus probantur.*